AUGUSTINUS. ISIDORUS HISPALENSIS

Göttweig (?), 12. Jh. Seite 127r

Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36527
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

quantum illud. Sed pretereuntia metimur tempora cum senti
endo metimur. Preterita vero que iam non sunt aut futura que
nondum sunt quis metiri potest. nisi forte audebit quis dice
re metiri posse quod non est. Cum ergo preterit tempus sentiri et
metiri potest. Cum autem preterierit quoniam non est non potest.
Quero pater non affirmo. Deus meus preside mihi et rege me. Quis
nam est qui dicat mihi non esse tria tempora sicut pueri didicimus pue
rosque docuimus preteritum. presens et futurum. sed tantum
presens. quoniam illa duo non sunt. an et ipsa sunt. sed ex aliquo procedit
occulto. cum ex futuro fit presens. et in aliquod recedit oc
cultum. cum ex presenti fit preteritum. Nam ubi ea viderunt
qui futura cecinerunt si nondum sunt. neque enim potest videri
id quod non est. Et qui narrant preterita. non utique vera nar
rarent. si animo illa non cernerent. Que si nulla [essent] cer
ni omnino non possent. Sunt ergo et preterita et futura. Sine
me domine amplius querere. spes mea. non conturbetur inten
tio mea. Si enim sunt preterita et futura volo scire ubi
sint. Quod si nondum valeo. scio tamen ubicumque sunt. non ibi
ea futura esse aut preterita sed presentia. Nam si et ibi futura
sunt nondum ibi sunt. si et ibi preterita sunt iam non ibi sunt. Ubicumque ergo sunt.
quecumque sunt. non sunt nisi presentia. quamquam preterita cum vera nar
rantur. ex memoria proferuntur non res ipse que preterie
runt. sed verba concepta ex imaginibus earum. que in animo
velut vestigia per sensus pretereundo fixerunt. Pueritia
quippe mea que iam non est in tempore preterito est. quod iam
non est. Imaginem vero eius cum eam recolo et narro. in presenti
tempore intueor. quia est adhuc in memoria mea.
Utrum similis sit. Causa etiam predicendorum futurorum.
ut rerum que nondum sunt iam existentes presentiantur imagines.